

IN NOMEINE JESU!

DISSERTATIO THEOLOGICA,

DE

XV.

SYNCRETISMO  
HEBRÆO-SYRIACO;  
NEC NON ÆGYPTO-  
ISRAELITICO.

QUAM

DEI O. M. Auxilio,

In Regiâ Academiâ Aboënsi,

*Cum consensu Reverendæ Facultatis Theologicæ*

P R Ä S I D E

ENEVALDO SVENON. Q. G. A.

SS. Theol. Doct. Prof. Prim. & Pastore Urbis: nec non  
h. t. Reg. Alumnorum Inspectore:

DEFENDENDAM ELEGIT

PETRUS RYDENIUS, Wqsingb:

Smolandus, Reg. Alumnus.

*In Audit. Max. ad diem 2. Maij. A. XCVI. MDCCCLXXIV.*

A B O Æ,

Excula à PETRO HANSONIO Acad. Typog.

*Illusterrimo atq; Celsissimo Heroi ac Domino;*

**DN. PETRO Brahe/**  
**Comiti in Wysingzborg/ Lib. Baroni**  
in Cajana, Domino in Rydboholm/Lindholm/Brahe-  
linna & Bogesund &c. &c. Regni Sveogothici Drotze-  
to, justitiæq; per Sveciam ac Finlandiam, subjectasq;  
ijsdem provincias Directori, Westmanniæ, Monta-  
norum & Dalensium Legifero; nec non  
Academiaz Aboensis Cancellario;

UT ET

*Illusterrimo ac generosissimo Heroi ac Domino;*

**DN. NICOLA O Brahe/**  
**Comiti in Wysingzborg Lib. Baro-**  
ni in Cajana, Domino de Rydboholm/Sastwaghen  
&c, &c. Regni Sveciæ Senatori ac  
Ammirali &c.

*Dominis & patronis Clementissimis,*

Hanc disputationem Theologicam  
Vest.<sup>rum</sup> Illust.<sup>rum</sup> Excell.<sup>rum</sup> Hu-  
milius offero Clientulus

PETRUS. A. RYDENIUS  
Wysingib: Smol. Stip. Reg.

## IV. Hebraeo-Syriacus.

Disp. IV.

§. I.

RESP. PETRO RYDE-  
NIO WÜSSINGI: Smol.

**I**N domo *Laban* *Syri* viguit *cultus*, & postmodum In familiam Patriarchæ Jacobi per conjugium filiarum ejusdem *Syri* introductus est *Applausus Teraphim*, Gen. 31: 19. 30. 32. 34. c. 35: 2. De quib⁹ Seldenus in Tract. de Dīs Syris. Facilius enim ē connubiali Ἐπεγόδαντων commissione, ut supra ostensum in *Setho Cajano*, generatur mixtura Religionis, aut illius ad minimum vicinum sortium.

§. 2. Vox *Teraphim* est hebræa, quam nonnulli deducunt à R. *Rapha*, i.e. mederi, sanare quod fuerint penates ac dijauxi- liatores in morbis, ut quondam *Aesculapius*; huic græco- rum θεοποιεῡ respondet. Alij à R. *Raphab*, feriari, quod his dijs certas destinaverint ferias ac q: Sabbathum sanctifi- caverint. Schindlerus cum Rabbinis à *Theraph*, *imago*, quippe *Targum* exponit per *Tzelem*. Aquila verit̄ μορφώματα: Con- stat ergo *Teraphim* fuisse imagines, easq; vel 1. ut judæi di- cunt, juxta quarum inspectionem gentiles faciebant vel o- mittebant opus. vel 2. ut *Lyranus* memorat, quod fuerint fa- cia ex capite primogeniti detruncato, cuius lingvæ lamina aurea inserta fuit, inscripto nomine dæmonis invocati: Quod postea parieti affixum est accensis coram eo lucernis. vel quod veritati congruentissimum, 3. fuisse factas ad simi- litudinem hominis, ut liquet ex historiā Michol, 1. Sam. 19: 13. quæ talem statuam in locum mariti lecto imposuit, & hæc arte sicarios à Saule missos fecellit. Quod responsa dederint colligitur ex jod. 18: 14. 18. 19. procul dubio idola ista fuere aurea vel argentea, quorum exactam effigiem, judice B. D. Gerhardo in com. in Gen. pag. 592. hodie magno Dei be- nefici-

G

neficio ignoramus. *Laban* autem vocat *Deos suos*, non ratione *Essentiae*: non enim tam fuit miraculosè stupidus ut existimaret, lignum, lapidem, argentum vel aurum divinâ præditum essentiâ, sed quia ad illorum conspectum Deo sacra faciebat *opinione cultus*, vel in illis & sub illis, Deum, qui olim patriarchis in humanâ formâ visus erat religiosè colebat.

§. 3. Ante diluvium non legitur tales fuisse in usu. Ex Iosuæ 24: 2. tamen intelligitur tempore Majorum Abraham eas imagines esse introductas, & ab ipsis loco Deorum cultas. *Epiphanius* quidem *Panar. lib. 1.* autor est, Thare patrem Abrahami, Nahoris & Arami primum ex luto, ut antea insuebam in *Babelico*, ejusmodi imagines formasse: ut quemadmodum Deus initio ex Luto formavit hominem ad imaginem suam: ita ipse novitios Deos fixerit ad similitudinem hominum. Ita n. dispersis in omnem terram filijs hominum & divisis linguis, paulatim sepulta est vera de Deo doctrina, & nihil amplius habet in Memoriâ hominum profanorum, quam externa sacrificiorum pompa, carens salutaribus concionibus. At vero Deus Abrahamicum evocavit ex Idolomanâ istâ: idq; Nahor frater, & hujus filius Bethuel ex quo Laban, minimè ignorabat. Adhæc, Jacobus jam 20 annos versatus est in ædibus Labani, neq; interea clam secum retinuit fidei suæ professionem, sed Deum patris sui publicè professus est Gen. 31: 13. Adeò ut *Labanus* ipse in hac historiâ Nominet Jehovam, provocet ad omniscientiam ejus & ad judicium Dei Abrahamici v, 49. seqq. & tamen etiam retinuit sua idola & Teraphim.

§. 4. Sed ut in *Babyloniam Eberus*, grassantibus odio & huma-

DE STNCRETISMO HEBRÆO-SYRIACO. 715  
humanæ sapientiæ superbiâ in veram Ecclesiam Dei, Nimro-  
ditis, fidei professionem, Dei ope, illibatam & integrum re-  
tinuit; ita *jacobus* in *Syriâ* eandem *Eberi* fidem & promissio-  
nem Evangelij servavit inviolatam, quamvis suis auditori-  
bus eam puritatem instillare antea non valuit, quam omnis  
massa superstitionis expurgata fuit atq; evanuit.

§. 5. Quo autem animo Rachel Idola parentis abstulerit,  
non omnes uniformi censurâ explicant: inscio tamen Ja-  
cobo id factum esse singulæ circumstantiæ commonstrant:  
neq; enim is si scivisset ceu religiosus veri Dei cultor hoc fu-  
isset permisurus. 1. *judæi* & cum his *Nazianzenus* Orat. 2. de  
*pasch.* dicunt ipsam hoc eo fine fecisse, ut simul Idololatri-  
am ex ædibus paternis extruderet & *Labanem* ab eo culture re-  
moveret: neq; enim verisimile erat avarum hominem no-  
vos Teraphim sumptuosè fabricaturum. Et quidem non  
absurdè cogitatur divinâ providentiâ factum, ut *Laban* in-  
telligeret, verum esse quod *Chrysostomus* affirmat: *Non esse Deos,*  
*qui furto auferri possunt.* Hinc *Ambrosius* lib. 2. de *jac.* & *vit.*  
*et. cap. 5. ait:* *Beata est Rachel, quæ abscondit cultus erroresq; gen-*  
*tilium, quæ simulachra eorum plena esse immunditiæ declaravit.*

§. 6. In eandem sententiam defendit factum Rachelis  
quoad primam tabulam *B. Lutherus noster*, Aur. comment in  
Genesin, quoad secundam tabulam excusat eam statuendo  
debitam sibi mercedem recepisse; ita enim Tom. iii. p. 135.  
differit: *Rachel igitur prudenter sic collegit (fuit enim mulier so-*  
*annorum circiter) Ego vocor secundum primam & secundam tabulam*  
*& egrediar: Itaq; habeo verbum Dei. Et pater contra utramq;*  
*gravitè peccat, quia est Idololatra & est avarus. Adhuc enim ne*  
*obulum mihi dedit de ijs, que omni jure humano & divino debuit*  
*largiri. Debet igitur mihi mercedem & munera etiam jure secun-*  
*da tabule, non prima tantum, quia sum filia. Furabor igitur ali-*

quid, & quidem tale quod adferet impedimentum Idolatrie ejus. Surripiam Teraphim. Nimirum enim tenax & sordidus est, ut non facilè alias imagines conflatus sit. Atq[ue] ita in primâ tabulâ rectè faciam rapiendo Idola & evertendis falsis cultibus. Et in secundâ tabulâ mihi propiciam auferendo, quod mibi omni jure debebatur. Et tamen vocat scriptura sancta furtum. Sicut Christus nominat O. dium patris & matris. Qui non oderit patrem aut matrem, aut animam suam &c. quod est prohibitum in lege, cum quidem non sit Odium. In secundâ tabulâ rectè sic dicitur: Non debes nec alium, nec te ipsum odire aut occidere. Sed in primâ mandat Deus: Jubeo ut animam tuam odio habeas, contra praeceptum secundâ tabulæ, ubi praecepi ut te diligas. Sic cædes est prohibita in 5 præcepto, sed Deus jubet Magistratum uti gladio in primâ tabulâ: Mibi vindictam & ego retribuam. Magistratus ergo occidit, non virtute secunde, sed prima tabula: neg[er]it cædes injusta, quoniam revera est homicidium. Ita hic furtum seu spolium dicitur, quod ad Laban & secundam tabulam attinet, sed in primâ est justum & licitum opus ac premium ipsi debitum: Et tamen vocatur furtum, quia Laban pro furto habet. Nec possumus nos appellationem mutare, quia scriptura sancta sic loquitur. Sic spolium Ægyptiorum in secundâ tabulâ & quoad Ægyptios est spolium; Sed in primâ est debitum. Rachel igitur non est furata, sed clam debitam sibi mercedem recepit.

§. 7. 2. Alij cum Chrysostomo, Gennadio & Ruperto factum Rachelis accusant. B. Gerhard. in h.l. sic scribit. Ex Gen. 35:2. Colligitur Racheli aliquid superstitionis avita ex domo paternâ adhuc adhäsisse, abstulerit igitur eo fine, ut corāne illis Deum adoraret, quam prectionem judicabat magis efficacem & Deo gratam esse, sic enim erat à parentibus instituta. Dn. D. Polycarp. Lysenus in suo Jacobo pag. 121. inquit: iudei concludunt eam bonum opus confessionis operatam esse. Sed ex Jacobi responsione liquet, ipsu[m] hoc factum non ita suscepisse. Adhac, quando postea Gen. 35:2.

Juba.

gubebat Idola proferre, sepelire & abolere, ostendit ipse in familiâ sua hujusmodi Theraphim alio sensu asservata fuisse.

Sic prior his B. Dn. D. David Rungius comment. in Genes. pag. 926. scribit: *Sed si singulas textus circumstantias accuratiū consideraverimus, non videtur hoc Rachelis factum omni reprobatione carere: Moses enim furtum appellat, quod cum 7. precepto pugnat. Et quamvis causa ista furti fuisse statuatur, est tamen ac manet verum furtum, quo filia aliquid ex facultatibus paternis inscio patre ad se rapit: Sed longè gravior est culpa prime tabule, quæ ostendit, Rachelem, quamvis conciones mariti de vero Deo quotidie per annos 13 audivisset, tamen superstitiones, quibus à juventute in ædibus paternis assueverat, omnino deponere non potuisse. Ideò Rachelem hoc furtum coram marito occultat, quod factura non fuisset, si Idolatrie destructionem in domo paternâ spectasset. Negat Idola ista abjicit in Euphratēm, neq; (si ex metallo fuerint fabricata) in unam massam conflat; Sed asservat tanquam Deos penates, quorum presentiā iter sperat fore felicius. Fuisse præterea in ædibus Jacobi adhuc reliquias superstitionum multarum & cultus Idololatrici, ostendit Reformatio, quam cap. 35. instituit, ubi & hec Teraphim & plura alia, quæ fortasse in tabernaculo Lœ & ancillarum fuerunt, jacob defodit subter terebinthum propè urbem Sichem. Hinc Chrys. homil. 57. in Gen. Leam consiam hujusfurti fecit, inquiens: Hec de furto Rachelis dicuntur, ut sciamus, quomodo adhuc paternam habentes consuetudinem Idolorum cultui erant addicte. Animadverte n. quantum in hoc studium impenderint, cum nihil aliud à patre auferre voluerint, quam ejus Idola. Duplex itaq; peccatum in Rachele cernitur, furti & superstitionis: quorum illud eo est gravius, quia committitur in parentem & in eâre, quam illa & parens errore quodam putabant esse sacram, quale furtum alio nomine Sacilegium appellatur. Supersticio vero Rachelis excusari eò minus potest, quia totis 13. annis, quibus Jacobo cohabitârat hactenus illius diligentissimâ institutione emendata non fuit.* Concordat his Annot. In Gén. D. Terserus pag. 96: *Constat etiam hinc negat jacobii familiam ab omni superstitione repurgatam fuisse, nisi post patraram Sichemitarum Cædem.*

§. 8. Ad conciliandam nostratium <sup>evangelicorum</sup> ponderans  
da est distinctio B. Lutheri nostri, inter Idola habere & Idolis uti.  
Rahelem Idola patris abstulisse & habuisse longè certissimum  
est, non tanquam Idola, sed negatae dotis testimonia & hereditatis  
pignora, ast primo eadem aspernatam, ex cap. 31: 34, post-  
modum verò ex diuturnâ possessione iisdem inquinatam ex  
cap. 35. 2. evidentissimè constat. Etenim hanc rem expri-  
mit B. Luth. comment in Genes. cap. 35. pag. 194. his verbis:  
*Judai Deos alienos hic intelligunt statuas, sive imagines Idolorum,  
quibus ipsi quidem perpetuo abundarunt, & tot Deos habuerunt,  
quot sunt demones in inferno. Quemadmodum & sub papatu vi-  
dimus. Jacob autem non intelligit tantum imagines aureas &  
argenteas; Sed accidens sive affectum illum, qui est tanquam caput  
in argentea aut aurea statuâ, videlicet adorationem. Alioqui enī  
in statua nihil peccati est, sed possum ea uti, sicut Rahel supra usq[ue] est  
Idolis Laban patris, cum poneret ea subter anum. Sed hoc est, pec-  
catum damnans, fiducia cordis, qua adhibetur statuae: Quan-  
quam imago ipsa est occasio mali. Sed in corde prius est affec-  
tus & Idolum. Unde Regulam in lib. cont. cœl. prophetas tradidit  
hanc: *Imagines ante omnia in animis hominum diriendas & demo-  
liendas esse, postea eas sponte suâ collabi in parietibus templorum,**

§. 9. Actus hujus religionum adversarum colluvie cele-  
briores annotari poterunt seqq.

I. *Fucus Pietatis.* Primo loco ponitur vox *Teraphim*, accertum est quod hic Idola significet, quia Laban erat Idololatra. Sed in nonnullis alijs locis scripturæ significat imagines sine cultu adorationis religiosæ, ut in historiâ Regum de Michol legitur 1. Reg. 19. quæ posuit in lecto loco Da-vid *Teraphim*, addito capillo, ut effingeret imaginem homini-  
nis decumbentis & ægrotantis in lecto. Alibi significat si-  
mulachrum veri cultus Dei, ut Ose. 3: 4. *Sedebunt Filii Israël  
sine*

*sine Rege, sine principe, sine sacrificio, sine altari, sine Epbod & si-  
ne Teraphim.* Ibi ait Lutherus, in Gen. pag. 136. non videtur con-  
venire, si reddas Theraphim, Idola, ac si populus Dei habuisset Ido-  
la. Sed quicquid est, meo judicio, & secundum grammaticam vi-  
detur significare generaliter similitudinem vel imaginem cultus di-  
vini, sive veri, sive falsi. Laban habuit imagines Idolatricas. O-  
seas autem videtur complexus omnes figuram cultus divini, videlicet  
tabernaculum, mensam, velum, candelabrum, panes propositionis  
&c. quibus omnibus caruerunt in exilio & captivitate. Sicut igitur  
gentes sua Idola hoc nomine appellant: ita Oseas accommodat  
ad suppellectilem tabernaculi. Quia non est consentaneum hanc  
poenam intelligi à prophetā, quod federint sine Idolis, sed vult in-  
telligi suspectilem sanctam, quam antea diximus, ita ut significet  
generaliter imaginem quandam cultus externi in signis & figuris;  
*Quamvis igitur non dum extitit tabernaculum tempore  
Labani, habuit tamen narrate de foederalibus signis alijs,  
archā Noë, iride, Altaribus &c.* Sic hodie existunt  
homines magnum pietatis zelum ostentantes, ar-  
guentes & dictatoria autoritate corripientes non  
solum intempestivos istos Religionum pacificato-  
res, quamvis id valde inviti; sed & horum profili-  
gatores, quasi justo rigidiores.

II. θεολογικά, seu religiosi cultus inventio  
propria. Longè enim alia ratio est signorum quorum  
Deus author est, quæq; divino mandato fiunt, & imaginū in-  
ventarum ad cultum divinum ab hominibus, juxta illud Sal-  
uatoris nostri: Matth. 15:9. *Frustra colunt me, docentes mandata  
hominum.* Discimus hinc, ait B. Lys. in h. l. quam difficile  
sit puritatem religionis conservare in cultu; præcipue quoad  
imagines. Nam humanum ingenium facile claudicat in  
utrumq;

utrumq; latus, & tam *Baal* quam *jehovah* suum cultum praestare cupit. Sicuti universa sacra historia palam id monstrat. Nemo itaq; ullam, sive Ministrorum, sive Magistratus, sive etiam patrum familias, curam & zelum hanc in parte supervacaneum aut nimium esse censeat, quem adhibent in taxando profano Idolorum cultu. Nec mirum, si interdum pij Magistratus Idola & statuas, quae ad Idololatriam prostituta fuerant, commununt & flammis exurunt: sicut Moses id fecit vitulo aureo Ex 32:20. Et Ezechias Rex serpenti æneo 2. Reg. 18:4. In primis autem singuli patres familias hanc sibi curam à Deo injunctam nōrint, ut attendant, ne in familia ipsorum ejusmodi claudicationes religionis in utramq; partem ferantur. Sic inveniunt hodie non quod pueri in fabā, si Dijs placet, magnum sanctiendæ pacis eccl. artificium in reducenda autoritate patrum 5. secularium ad æquilibrium cum scripturis sacrī.

**III. Labor improbus.** Jacobus sex dierum iter ad minimum confecerat, dum domum reversus *Laban* expeditur eum abisse cum filiabus. Greges n. aberant ab *Haran*, ad quos profectus, tridui spatio. v: 19. 23. Itaq; consulturus suos Deos & exploraturus, quonam abijset, deprehendit eos simul ablatos esse. Ibi excitato clamore & convocatis amicis cognatisq;, Jacobum studiosissimè ac vastissimo itineris spatio insequitur, sc. ultra *Euphratem* ad montem Gilead usque per 80. ferè miliaria, ad terminos usq; terræ Canaan. Sic hodiè Multi nullis sumptibus in cūdendis tractatibus syncretisticis, nullis itineribus aut molestijs parcunt, quo sibi proselytos assūcient: quod vel unius *Joh. Durai Scoti* exemplo constat, de quo dictum est in priori tract. *Artificio Delila*.

**IV. Amor & Delectatio Summa.** Laban enim vocat *Teraphim* cor suum, dicendo jacobo: Quare furatus es cor meum? v. 26. Ratio hujus phrasios una significatur quidem vers. 20. hec loisse, quod le inseio aufugerit. Sed adduant interpretes alteram, præcipue B. Dn. D. polyc. *Lysenus*

serus, quod in illis imagunculis fiduciam habuit. Verba ejus sunt hæc seqq. *COR SUUM esse dicit, quia in illis fides. Et sanè est magna vesania Idololatrarum.* Nemo tamen statuere debet, ipsum adeò fuisse stultum, ut istos Teraphim putarit esse Deum creatorum cœli & terra. Sicut & Israëlite satis probè sciebant, vitulum aureum Ex. 32; 40. nequaquam educuisse eos ex terrâ Ægypti. Sed existimabant illum verum Deum jehovam rectius illo, quam alio modo, coli. Ita Labanus scivit, illas imagunculas non creâste orbem: Sed tamen putavis Deum isto modo velle coli, apud imagines illas preces exaudire, ibi & propitiū esse velle, cumq; amisisset has imagines, statuit se privatum esse illis mediis, quibus verus Dei cultus apud se perfici posset. Ideoq; nunc immediatè sequitur:

**V. Professio publica:** Observatione etenim dignum est, quod *Laban Teraphim seu imagines vocat Deos suos v. 30.* adeoq; palam confitetur se non minoris hos æstimare quam verum Deum Abrahāmi, putans scilicet ad imagines Deum rectius coli, quam sine ijsdem. Sic hodie publicè Syncretismum profitentur in Academijs quondam Lutheranis, Regiomonti, Helmstadi, Rinthell &c.

**VI. Obstinatio:** Audierat Laban Jacobi doctrinam de vero Deo 20. annos, quod negare non poterat: sed mansit idolorum quoq; cultor, non minus quam auditor legalis Eleazar ac promissionis Evangelicæ. Adhæc, generum cum filiabus indignè tractavit annis totidem, ut nudis corporibus ex ædibus ipsius digrediendum illis fuisset, nisi Deus avertisset: Insuper totus in eo fuit, ut eundem affinem vel in eandem vel duriorem servitutem retraheret, licet sentiret Deum Jacobo efficaciter adstitisse. Quod accuratè B. Lys. observavit dum scripsit: *Deus varijs multisq; modis Labanum ad veram pietatem adducere voluit 1. Misit verbum & puriorem doctrinam per Jacobum.* 2. Addidit externa beneficia, benedictionem & multiplicationem gre-

gū per ministerium jacobi. 3. Cum longanimitas & benignitas Dei i-  
psum frustrā ad pænitentiam expectaret, subjunxit plagas, paulatim  
opes rursus subtrahendo tradendoq; Jacobo. 4. Nunc postremo Deus i-  
pse venit, & severè eum increpat, eiq; minatur, si durius & asperius  
cum jacobō agat. Et paulò post: 1. Ipse adeò non agnoscit nec  
fatetur peccata sua, ut potius jacobum accuset, eumq; reum agat atro-  
cissimarum injuriarum contrā se, contra filias, contra nepotes. Sic o-  
vicula hec lupo turbavit aquas, & jacobus est injustus, Labani a. justi-  
tiā superabundat. 2. Hic non subsistit, sed insuper vult sibi gratias  
agi, & pro magno beneficio haberī, quod sine offensione & damno i-  
psum dimittat. Sic hodiē quō plus Syncretistis contradici-  
tur, eō magis se ipsos obligant ad perseverandum in Theo-  
logiæ Elenchiticæ odio, modum procedendi circa Errorum  
Elenchum vituperant, ipsosq; ἐλέγχοντας ποίει αὐτούς λέγοντας,  
Magistratibus faciunt suspectos malitiæ & turbæ; imo ju-  
ratos se talium Jacobi sociorum hostes esse classicum canunt.  
Ipsi sunt prudentes, alij temerarij, beneficia sua ebuccinant,  
alios ingratos proclamanat, & magnas sibi deberi gratias vo-  
lunt, quōd non plus noceant, dicendo cum Labano: *Valet*  
*manus mea tibi reddere malum.*

**VII.** Alienæ Religionis afflatus in domo Jacobi.  
Constat veritas hujus rei ex verbis Mosis Gen. 35: 2. *Et dixit*  
*jacob ad domum suam & ad omnes qui secum erant: Abjecite Deos*  
*Alienos, qui in medio vestri sunt, & mundamini ac mundate vestimen-*  
*ta vestra.* In hæc verba interalia sic commentatur B. Luthe-  
rus pag. 193:

Pulcherrima autem concio est patriarchæ Jacob ad fami-  
liam & Ecclesiam suam, collectam ex domesticis & extraneis,  
quā hortatur eos ad emendationem vitiorum, quæ hærebant  
in Ecclesiā. Ac primum peccatum quod arguit, pugnat cum  
primo præcepto, videlicet Idolatria, hanc vult corrigi & re-  
pur-

purgari, Abjicite, inquit, Deos alienos, qui inter vos sunt: hoc enim caput & fons est, unde omnia alia vitia promanant, & irrita est omnis reformatio, si non repurgetur primùm doctrina. *Et pag. seq.* Coeterū quando semel aberravit humana mens à vero & uno Deo, necesse est sequi infinitam multitudinem & confusionem Deorum. Qui semel deseruerit Deum, hunc impossibile est manere in aliquā certa divinitate, hoc est in una Religione aut certo cultu Dei. *Et paulo post:* Itaq; ab unitate Dei deflectere, est immergi in multitudinem Deorum ignotorum.

Unde evidenter conjicere licet, quo loco habuerit Lutherus Excusationem facti Rachelis cap. 31. Nimirum, quos primitus notabili de honestatione alpernata est, postmodum cœperit colere: ut alias facilimè aurum etiam in artificiale vertitur in idolum. Accedat unius saltēm adbuc judicium de hoc negotio, Dn. D. Polyc. Lyseri nostri in suo Jacobo p. 124: *Alij ergo ex cap. 35.* hanc desumunt sententiam, quod statuunt, Rachēlem ipsam adbuc idolorum cultui, prout in eōibus paternis assueta fuerat, addictam fuisse. *Id si ita est,* videmus infirmitatem non tantum in muliebri sexu, in Rachēle, qua tot annorum spatio non recte potuit in puriore doctrina informari, sed etiam in ipso jacobō, qui ista toleravit. Ut ita manifestum sit, in magnā domo, non solum aurea & argentea vasea, sed & lignea atq; sc̄tilia, eaq; alia in honorem, alia in ignominiam inveniri. *Imprimis a.* quia Rachel fuit dilecta, Jacobus multa supervidit & dissimulavit. In eo tamen jacobus summoperè erit commendandus, quod postea Idola hæc radicitus extirpata deleverit: Rahel verò cum domesticis laudanda, quod Marito reformatori paruerit, saltem id hæc vice ex hujus mixturæ religionis negotio notamus, quām sit contagiosa familiaris & diuturna conversatio cum heterodoxis (aut Heterodidactis) citius enim aliquid mali, quam boni

724 DE SYNCRETISMO ÆGYPTO-ISRAELIT.  
adhæret ingenij, quod ægrè deinceps, imò haud raro aut  
difficilimè aut nunquam expurgatur, juxta apostolicum &  
Cor. 5:6. Parum fermenti totam massam fermentat.

## V. Ægypto-Israëliticus.

§. 1.

**Q**uo populus Dei, exemplo religionis barbarorum, quos  
videbat omnibus bonis secularibus florere divitijsq; af-  
fluere, conversus ad eorum Idola & deastros, quibuscum  
verum Deum conciliare tentando veram veri Dei notitiam  
perdidit. Inceptus est in Ægypto Ezech. 20:8. seqq. Act. 7:  
39. Ostentatus verò evidenti specimine in deserto, ubi  
vitulus aureus conflatus est ab Arone, postulante populo, Ex-  
od. 32:6. seqq. & cum vero Deo Israelis compositus, disertè  
tradente historiâ v. 4. & 5. conf. Amos. 5:25. 26.

§. 2. Animalia autem in honore apud Ægyptios fuisse scri-  
bit Plutarchus, ipse gentilis, Lib. de *Iside & Osiride*, aut quia pla-  
netis & Astris attributa erant, aut quia Osiris Rex Argivorum  
populum olim in aciem educturus sua singulis legionibus si-  
gna esse voluerat, certis animalium imaginibus distincta, Ca-  
nus, Leonis, Bovis &c. quæ æmulatio & vanitas cum tempore  
in superstitionem abiverat. Quocirca probabilis fert con-  
jectura Exod. 8:26. vitulum istum fusum fuisse ex κανοῦ λιαίᾳ  
Apis & Mnevis, hoc est, boum in Osiridis & Isidis cultum ad  
ornatorum suffragantibus Hieronym. ad cap. 4. Osee. Hu-  
gono Grotio ad verba Exod. 32:7. Surrexerunt ludere.

§. 3. Cum enim Pharaon Mosi & Aroni sacrificium in ter-  
ra Ægypti immolare indulsisset, respondit Moses: *Abomina-  
tiones Ægyptiorum immolabimus Domino Deo nostro!* Addendo  
paraphrasin, quod scilicet per Abominationem illam, intellexit  
hircos

hircos, boves & vitulos pro Dijs cultos: *Quod si mactaverimus ea, qua colunt Ægyptij, coram eis, lapidibus nos obruent.* Conf. quæ habet Dn. Ilshnerus in paraph. Bibl. Winar. Egypter Grenel: Schaffe / bœcke / ziegen / fälber etc. Welche Die Egypter vür Götter anbeten / und ein gretwel Haben an denen die solche thier schlachten / Gen. 43: 32. cap. 46: 34. Ad hos Ægyptiorum ritus religionis, erat compositus vitulus Aronis, coram quo saltarunt & tantopere gavisi sunt Israelitæ in deserto.

S. 4. *Quod autem verum Deum Creatorem cœli & terræ, ab hoc cultu non crassè voluerint exterminatum, sed vel primariò honoratum Israëlitæ, seu quod idem est, non tantum coluerint figuram vituli, sed potissimum Deum ipsum hâc figura, licet bestialissimè repræsentatum, liquet 1.* Ex singulari vitulo, & plurali Elohim v. 4. quando ergo cecinere: *hi sunt dij tui qui te eduxerunt, una Deum ipsum consignificauunt.* Unde Brentius Israëlitarum verba: *hi sunt Dij tui, &c.* sic interpretatur: qui huic aureo vitulo aliquid honoris defert, & in præsentia bujus imaginæ sacrificium offert, is præstat gratissimum cultum Deo illi, qui nos ex Ægypto eduxit, cum in ejus honorem hunc vitulum erexerimus. vel brevius: *iste est verè divinus cultus, propter quem meremur gratiam Dei, qui nos eduxit.* 2. *Quia huic simulacro induunt nomen Dei essentialie Jehovah,* v. 5. dicentes: *Cras erit festum Jehovah.* 3. *Quia ædificant Deo altare v. eod. proinde emphatica sunt verba Luth. in h. l. hie sihesit das sie in diesen falbe vermeinet haben den rechten Gott zu dienen/ weil Aron russen läßet: Es sen des Herrn fest/ und barwet ihm einen altar.* Et tamen Idolatriæ rei persaguntur: *divinâ voce enim dicuntur sacrificasse vitulo, eumq; adorasse v. 8.* Nec adeo brutus vel populus vel Aron erat, ut censuerit vitulum jam nunc in conspectu omnium

fusum, esse verum Jehovam, qui populum ex Aegypto eduxit, antequam hic vitulus funderetur.

§. 5. Hæc eadem est Idolomania propter quam etiamnum papistæ malè audiunt, quippè qui statuas & imagines consecrant, non quidem eâ intentione aut sensu, ut sint ipsis, quod facile concedimus, loco Deorum: Sed tantum ut coram illis Deum verum adorent ejq; devotum cultum persolvant, persuadentes sibi, si hoc modo & apud has statuas Deum orent, tantò faciliùs exaudiri posse, & ipsi Deo, cultum fore tantò acceptiorem. Ast Salvator noster Jesus Christus protestatur Joh. 4: 24. *veros adoratores Deum adorare, non coram multis statuis & imaginibus, sed in spiritu & veritate.* Idcircò etiam pij Reges & principes, imagines impias ad Idololatricum cultum prostantes aboleverunt, sicuti Ezechias serpentem æneum 2. Reg. 18: 4. &c.

§. 6. Nec opus est demonstrationi operosâ evolutione voluminum Bellarmini aliorumq; Vidi enim hisce meis, ita me Deus amet, oculis ipse peregrinatus in Austria A. 1654. mense Martio, statuam Idololatricam non procul ab oppido Marbach erectam, cui hi Rhytmi insculpti legebantur, statim in meo diario notati 30. d.

*Hoc Deus est quod imago docet, sed non Deus ipsa:  
Hanc videas, & mente colas quod cernis in ipsa.*

### Austriacè:

Die Piltnis ist Gott selber nit/  
Er wirdt allein bedeut dar mit  
Das Wildt sieh an/ und richst den sin/  
Wer sonst bedeute wirdt darin.

§. 7. Verum, non ovum ovo similius est, quam hæc ἐικονολαζεῖα papistica ipsi μοσκόλαζεῖα Aegypticæ sit; quemadmo-

admodum n. Israelitæ cultum istum, non ad materiam vel formam vituli, sed ad rem retulerunt significatam, hoc est, ad verum Deum eductorem, vitulum verò ex auro monilium & in aurium conflatum non ignorarunt; & tamen horrendam Idololatriam commiserunt: quidni *Pontificij*? quamvis nō sint statuam non esse Deum, quia tamen eandem extra omnem cultus opinionem non habeant, ut nos Adiaphoristæ imagines habemus, imo sanctos etiam homines in & extra imagines adorent ceu Mediatores; crassissimi Idololatræ erunt: quamvis etiam alijs modis Idolatria fiat.

S. 8. Accurate igitur B. D. *David Chytraus* describit eam, cum in h. l. tum comment. in lib. jud. pag. 121: verbis. seqq.

Idololatria est proprio consilio & temeritate, si ne certo Dei verbo, quod unica & sola fidei & religionis nostræ norma est, vagantem, vel Fingere aliquid esse Deum, quod Deus non est, ut Ethnici novos & commentitios Deos Majorum & Minorum gentium finxerunt, quorum illos disticho Ennius complecti voluit:

*Juno, Vesta, Minerva, Ceres, Diana, Venus, Mars;*  
*Mercurius, Iova, Neptunus, Vulcanus, Apollo.*

Vel honorem soli vero Deo Creatori propriè debitum, seu cultus primi præcepti, tribuere creaturis, seu cuicunq; rei quæ non est verus Deus (ut qui auxilium & liberationem ex morbis & alijs periculis, ab hominibus mortuis petunt, qui confidunt, se propter sua bona opera coram Deo justos & salvos fieri, qui pecuniam, voluptates, honores, amicos magis

magis quam Deum amant, qui amicis & opibus magis quam Deo confidunt) vel operibus manuum humanarum, ut Paulus loquitur, videlicet statuis & Simulachris Deum colere, & ad has statuas Deum alligare, quasi magis audiat & propitius sit in vocantibus ad statuas quam alibi: vel eligere & instituere cultus, ceremonias, sacrificia, sine verbo & mandato Dei, & confidere his cultibus, quod propter eos Deus nobis propitius sit & benefaciat, ut Pontifices & Monachi novas ceremonias & ritus, Sacrificium Missæ pro vivis & mortuis, opera Monastica, coelibatum, abstinentiam à certis cibis, & alia in Ecclesiam invenierunt. Ex hâc distributione varietas Idolorum & cultuum Idololatricorum aliquo modo considerari, & ad metas ac Classes certas revocari potest. *Hac ille B. Chytraeus.*

§. 9. Huic Syncretismo homogenea planè & in ob. suis clavis conformis fuit μοσχολάρεια Dano Bethelica: ad hujus enim rei imitationem postea jeroboam eundem vituli cultum restauravit, quem 10. tribubus cō facilius persuadere potuit, quō plausibilis terminatum ad verum Deum eundem probare fategerit. 1. Reg. 12: 28. Unde idem Rex Israelis apud Joseph. Lib. 8. cap. 3. se Salomoni comparat antecessori; & ut convenientiam cultus ostendat, ait: Πεποίηκα καγὼ δύω χρυσούς δαμάλεις ἐπανύψεις τῶν θεῶν.

Tantum.,

Seq. Disp. 5.

*Ornatissimo juveni*

DN. PETRO RYDENIO Smolando S.æ R.æ M.tis in  
Florentissimâ Academiâ Aboensi alumno perindustrio,  
In Sacra Theologia publice respondendo se exercenti;

**A** Onidum dicate sacris, castrisq; Minervæ,

Rydeni juvenes inter amandus eris;

Segnia quod te non oblectent otia, totus

Efficere at pergis crescat ut Ingenium.

Habentus in hortis Sophiae tua cura refulgit

Præclaris, mentis fervidus atq; vigor.

Nunc Sacra Theiologum volvis quoq; scripta virorum,

Cen probat hoc præsens ingenij specimen.

Laude vebendus eris, quod cælica dogmata discens,

Suspicis aeterni jussa tremenda DÆi.

Macte pijs studijs patrios decorare penates,

Præmia curarum patria magna dabit.

Votiva hac acclamatione subito adplaudebat

JACOBUS FLACHSENIUS.

Acad. h. a. Rector.

---

Ad Respondentem,

*Eruditione ac virtute præstantissimum,*

Dn. PETRUM RYDENIUM, Commilitonem,  
amicum, comprovincialem:

**E**T plures orare Deos, Idolaq; multa,

Et simul illum unum, qui regit astra, Deum:

Efficit ingratum, Domino reprobante, saporem.

Expuat ut vomicam summus Iöva suam.

Differis, hoc latè diducis & omne Rydeni,

His precor ut studijs annuat alma Trias!

L. Mq;

P R A E S E S.

---

*Doctissime Dn. RYDENI,*

Scribere multa non permittit temporis angustia: calamum tamen non  
possum non levare, quod mibi heic bonus amicus aq; fidelis auditor  
ali-

aliquot annos vixisti. Agat ergo hac vice votum paginam utramq.  
Scilicet vovo Tibi felix iter ad penates, ac ut multo fructu studio-  
rum hic exantlatorum domi beeris, animitus precor. Vale. Abore  
festinantisime hec scripsi.

P. Hång tui studiosus.

Πρὸς τὸν ἄνδρα νέον,  
Τῶν τε Μετῶν, κὶ τῆς ἀρετῆς, κὶ τῶν καλλίσων ηθέων  
ἔργατην σπεύδαιότετον,

K. PÉTRON ῬΓΔΗΝΙΟΝ  
ἔταιρον ὡς ἐυδοκιμότατον, ὅτῳ κὶ ἐνπιμότατον,

λόγος συγχάιρων κὶ ωραῖνετικὸς.

Σεῦς, ὡς ὁι μῦθοι λέγουσι, Γὸν κὶ Ἡρακλέα κὶ τὸν Τάνταλον  
ἐγένησε. Γὸν μὲν Διὸς Τὴν ἀρετὴν ἀθάνατον ἐποίησε, Γὸν δὲ Διὸς τὴν κα-  
κίαν ταῖς μεγίσταις πιμελέσις ἐκόλασε. Ταῦτα δὲ ποὺς πὲ, λέγεις  
Φίλων Φίλταλε; Ἰδέ! ὅμολογήσομαι Φανερῶς. Τοιαῦτην κὶ τὴν  
ὅδον τηρεῖ ὁ τῶν θεῶν Θεὸς ὁ μέγιστος. Τὰς δὲ σπεύδαις κὶ τὰ βέλ-  
πια ἀρετῶντας ὑψοῖ κὶ ἐπισήμως ἐντιμᾶ, τὰς δὲ φάνταστας κὶ Τὴν  
ῥαθυμίαν ἀγαπῶντας ἀποδοκιμάζει κὶ ἀναθεματίζει. Οἱ δὲ τὰς  
τῆς Διονοίᾳ ὑπερηφάνιες Διακοφρίζει κὶ καταργεῖ ὅτῳ κὶ τὰς ῥαθύ-  
μιας μιστεῖ, κὶ Τὰς μηδεμίαν τῷ Βίῳ ὑπόθεσιν πεποιηκότας. Ενταῦ-  
θα ἔγώ Γὸν τὰς σεαυτὸς Βίῳ λόγου κάλλιστον μὲν διομαί εἶναι, ὡς ἔταιρε  
συνηθέσατε. Πρὸ δὲ τῶν ἀπάντων ἐπιληδευμάτων ἀλλοτερίων τὴν Γῶν  
θεῶν σοφίαν, τὴν μόνην αἰδίον κὶ σωτήριον, ἔξελεξας. Καλῶς μὲν  
κὶ φρονίμως. Αἴψευτος τῆς φρονήσεως χαρακτὴρ ἐστί, βγλεύειν μὲν  
βερεδέως, ἐπιλελεῖν δὲ ταχέως τὰ δόξαντα. Εὔρεις τὴν ἀγαθὴν με-  
ρίδα, ταῦτην δεξιώς τήρησον. Ἐπιμεληθήτωσαν ἄλλοι τῶν περὶ τὸν  
Βίον. Σὺ δὲ τὴν σεαυτὸν φρόνητον ἀσκεῖ. Τοῖς τὴν ψυχὴν φιλοσόφοις  
μάλιστα πρέπει περὶ τὴν ἀρετὴν φιλοτονεῖν. Σὺ διόπερ ταῦτην τὴν  
χρησιμοτάτην σεαυτῷ πεσάρεσιν μηδέποτε Διάλλαξον, ὑσερὸν γὰρ  
δώσει σοὶ τοιότος ὁ πόνος παχέα καρπὸν. Ἔρρωσο! κὶ ἐπιμελῶς τῇ-  
ρει τέτων τῶν λόγων ωραῖνετι.

Οὐ ὑπέβαλε πολλοῖς ἐμπλακεῖς  
JOHANNES COLLIANDER  
Wex. Reg. Alumn.

*Prastantissimo atq; Ornatusissimo Respondenti Rydenio.*  
*S. P.*

**O**mibus in vitæ humanæ ordinibus ita comparatum esse videmus, non ut temere sineq; delectu certo hinc indè procurratur; Sed ad certum aliquem finem omnia in omnibus dirigantur actionibus. Non sagittis qui jaculantur, ijsq; delectantur ideo areum suum intendunt, frustrâ cœrem ut verberent vel tempus terant; Verum in eo toti sunt, ut ad signum scopumq; præfium quam proximè colliment, præmiaq; magno cum hominum applausu ampla reportent. Hoc, Sympatriota dilecte, mature tecum præmeditatus es; Studium enim Theologicum præ cœteris elegisti, huic Te nunc unicè addixisti: Non Sapientiam tuam & doctrinam in omnibus ostentare, atq; inanis, quod dicitur, gloriolæ umbram venari desideras. Illud nunc invenisti, in quo rerum tuarum sedem, vitæq; tabernaculum figere non vereris. O quam bonum factum, quo apud multos Magnum Tui excitasti amorem atq; desiderium. Hisce Vale, diuq; feliciter Vive.

T. T.

*BRODDO KOMSTADIUS*  
*Reg. Alumnus.*

**L**aude conceptam teneris ab annis  
Spem tui insignem, tua nunc adimplest,  
Palladis magno celebri & theatro,

Provida cura.

Quippe, quod primum est, alacer penetras  
Sensa scriptura; studio tueris  
Impigro normam fidei, strophasque

Solvere pergis.

Gratulor sanè: meritò beatum.

Prædico temet, vobisque corde,

Uberes fructus capias, perennis

Et benè vivas!

Hisce paucis Præstantissimo Dn. Respondenti,  
Sympatriotæ & amico certissimo hono-  
ris & amoris ergo officiòe gratulari  
voluit.

SVENO M. Ørelgreen/  
Wisingzburg: Smoland.



.T .T